



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

241. feria 4. Tentationibus resistendum ab utili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

432 *Feria 3. Domin. 10. post Pentecost.*
nis bellum in pacem convertit. Pugnat pro
nobis Dominus JESVS stans ad dexteram
Dei; pugnat Diava, quæ caput serpentis ab
initio contrivit; pugnant Angeli, qui adhuc
in cælo draconi restiterunt, ejusque nunc la-
queos detegunt, & arcunt; pugnant Sancti,
quos Advocatos habemus, subsidia cælitus
suppeditando.

Cons. 3. Quomodo succurrat ipsa Ecclesia
pro Filijs interpellando; subveniant, quibus
tentationes aperimus, dando ad pugnandum
arma, & ad vincendum remedia, adsunt &
proximi, æquales, ac inferiores, dum bono
exemplo ad victoriam movent, vel casibus,
ac pœnis ob sua peccata perferendis a simili-
bus avocant.

MEDITATIO CCXLI.

Feria 4. Domin. 10. post Pentecost.

Tentationibus resistendum ab utili.

Videbo concupiscentiarum utilitatum, quas ex
victoria tentationum extrahit anima vi-
ctrix. Petam eas agnoscere, & assequi.

Cons. 1. Quod anima tentatione illumi-
netur, & erudiatur, ut se, suamque infirmita-
tem ac profectum agnoscat, tum ut discat,
quomodo alijs afflictis & tentatis medeatur.
2. Tentatio purgatã præteritis peccatis, quæ
sicut delectatione contraxit, ita diligenti re-
pulsu

Fer. 5. Domin. 20. post Pentecost. 433

pulsu earum culpam imminuit, & poenam; purgat à vitijs, quibus dū resistitur, minuuntur, purgat à præsumptione, cūm sciat homo, quòd victus occumbat, si de virtute sua præsumat: purgat à jactantia, quia videns à Domino se ereptum, in Domino gloriatur: purgat à stultitia, quia tentatio facit hominem cautè incedere, & omnem labendi occasionem devitare.

Conf. 2. Tertium utile, quòd tentatio hominem examinet, an Deo gratus, & fidelis existat. Cūm in regno bellum exoritur, statim pater, quæ urbes Regi fideles, quæ perduelles, & ob conspirationem cum hoste infideles. 4. Tēratio à peccato præservat, sicut sal carnem à putredine. 5. Tēratio propriam fiduciam, filiam superbiæ pellit, qui enim tentationes sentit, manifestè experitur, quàm impotens sit ad resistendum: sicut rudis, Doctoris argumento ligatus; de se ipso diffidit, & Magistri opem exposcit, ita pius tentatione pulsatus exclamat: *Domine, vim patior, responde pro me. Mai, 3.* 6. Tentatio sanctum fervorem imminutum colligit, ut hostibus circumdatus resistat. 7. Tentatio à superbia animam liberat, & eam ignorantem se humiliat. 8. Amorem nobis conciliat erga eum, à quo amati sumus, Deum.

Conf. 3. Tentatio est causa verarum divitiarum,

T

tiarum,

434 *Feria 5. Domin. 10. post Pentecost.*
tiarum, seu virtutum. Filij Israel persecutio
ne crescebant. Exod. 2. item Ecclesia. 10.
Virtutes jam adeptas notificat; nemo se in
pace novit, militis vires praelium ostendit.
11. Animum vincentem magnificat. *Qui
vicerit, faciam illum columnam in templo meo.*
12. Deum glorificat: *Invocabo me in die tri-
bulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ad
Hebr. 4. 13. Christo nos assimilatur, qui
spontem in hac vita tentationes sustinuit.
Math. 4. Hæc omnia tentatio victa opera-
tur. Tentatio autem vincens, contraria.

MEDITATIO CCXLII.

Feria 5. Domin. 10. post Pentecost.

De fine belli contra vitia.

Aspiciam finem turbulenti belli adver-
sus vitia, esse serenam pacem. Pacem
eam consequi.

Conf. 1. Tribus modis solet pacis lux post
belli tenebras exoriri. 1, quia hostes mutata
voluntate inimicitias deponunt. 2. Quia
altera pars belligerantium subijcitur impe-
rio victorum, & ab armis cessare compelli-
tur. 3. Quia a victoribus in nullo parcenti-
bus populus victus magnâ severitate extin-
guitur. Amicitiam cum vitijs inire non licet.
Exod. 3. & 34. Itaque primum signum
pacis non erit. Vitia etiam ita subijci non
possunt.